



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Anglia

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1671

Capvt VIII. Discordiæ inter Protestantes molles, & Rigidos. Institutum Calvinismi Puri. Sectarum interitus, & ortus pro cuiusque commodo, & vsu facilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10773

hecæ eandem reponuntur, in qua S. Frisunidæ reliquiæ colebantur, & cum his aded confusa, vt nulla vnquam possent diligentia secerni; clauditur locus, & cubitalibus literis hoc epitaphio decoratur *Hic iacet Religio cum superstitione*. Meliori titulo meretici, hæretici pessimi concubinæ; pro nefas deteriori, ancillæ Christi sanctissimæ virgini attributo. Magis pia videri voluit in Cantabrigia, parente altera scientiarum in Anglia. Illic obierant Bucerus & Paulus Fagius, è Germania acciti, vt de celsitate illius cathedræ pestem suam vniuersæ Angliæ afflarent. Bucerus à Christo, & cœnobio transfuga; inde Lutheranus, dum res, & tempus fauit; mox spreto magistro, & Zuinglij totus, & ob eam causam à Luthero, pro Iuda proditore, & Absalone, notatus, & habitus, postmodum tamen denuo Lutheranus. Stirpe tandem Hebræus professione Christianus, ex vtroque tertium conflauit, ignotum cuiusmodi? nisi quod dici de illo potest quod de se ludebat Elizabethæ primarius aulicus, qui duarum simul vxorum maritus alteram vocabat Synagogam, Ecclesiam alteram; sic vero sibi vtramque iunxisse, vt essent tamen inuicem disunctæ. Hunc ergo & Fagium, desertorum par execrabile condigno post funus, Maria sepulchro affecerat, nempe ossa comburi, ossum cinerem tradi ventis mandarat. Elizabetha illorum memoriam & nomen (nullæ enim ipsorum quas coleret restabant reliquiæ) in fastos ad trigessimum Iulij retulit. Quo die certatim alij sanctimoniam vitæ facinorosissimæ in Cœlum efferre; sapientiam alij, furiosi & docti erroris; Scripturæ, Conciliis, Patribus, vniuersæque Ecclesiæ præfractè impudenterque præferre. Quas in laudum Chimeras, & coronamenta nequitia ingeniorum suorum florem Cantabrigia exhaustit.



*Discordia inter Protestantes molles, & Rigos.
Institutum Calvinismi Puri. Sectarum interitus,
& ortus pro cuiusque commodo, & usu facilis.*

CAPVT VIII.



VDAVIT suo cum Cæcilio Regina cassis conatibus ad coagmendum Religionis tertiæ simulachrum ex duabus quæ dominabantur in Anglia; durarunt illic eorum ingratis, præter fidem Ro. sacrosanctam, sectæ illæ duæ Calvinistarum mollium hoc est Luthero mixtorum; & Rigidorum, hoc est vtrouis inflexorum, præterquam in merum Calvinismum Theodori Bezae opera, seuerioribus adstrictum dogmatis; ex quo illa rei cuiuslibet piæ, velut impietatis proscripção, & de-

testatio; legum, consuetudinum, traditionis, & styli Romani: procul exinde Religionis vniuersale, ac supremum caput, procul diuina officia, templa, consecrationes, altaria; procul Episcopi, Sacerdotes, & quicquid cleri est; ne vestimenta quidem, nec immunitates, nec bona Ministris Ecclesiae dicata, & quicquid demum articulis centum quadraginta distinctè comprehensum Caluinistis Parlamentariis seu mollibus obiecerunt, reosque propterea, hæresis, scandali, & superstitionis, libro acerbissimo traduxerunt; sectam illorum Minotaurum & chimeram vocarunt; diuinam ob articulos Euangelij puri, & sinceræ Caluini explicationes; ob quædam ethnicos, & Romanos vsus, olentia belluinam. Continud itaque inter se dimicare, mordere inuicem canina rabie, & lacerare modis immanibus, quos conicias abundè ex historia sacramentaria Hospiniani hæretici, & Apologia Protestantium pro fide Catholica (cuius hæreticorum sectæ, ineluctabili) vbi tot eorum Polemica censentur & cruenta scripta, mutuis se vulneribus conficientium vt iustæ possint bibliothecæ sufficere, eorum tamen quæ postea in hunc diem elaborata sunt, vix tertiam partem effecerint.

Puritanorum vocabulo se iactat hæc lues, quod præter Caluinum nihil admittant, purum ac putum, toti ab se, ac sui, mortalibus reliquis ob hoc diuiniore, & infensi, quod aliter ab iis sentiant, sintque suo illo in sensu rigidi, nec minus alter alteri consertus, quàm scuta fusilia Behemot. Cæterum Regibus, Dominis, & Monarchico cuius Imperio, ciuili & sacro iurati hostes, ac si possint etiam euersores. *Præclara sane laus*, scribit de iis Rex Iacobus, *præclarum encomium, quo Puritanos ornauit: cum me plus fidei, vel in illis efferis, cum montanis, tum limitaneis Lutranibus quàm in hoc genere hominum inuenisse professus sum.* Quod quanto iure sentiret ac scriberet, clariùs indicans; *Ego*, inquit, *à Puritanis non solum à natiuitate continud vexatus fui, verum etiam in ipso matris utero prope modum extinctus, antequam in lucem editus essem.* Nempe illorum est dogma proprium, Dominationem odisse omnem, ac si præualeant, de medio tollere: dignitates, diuitias, honores, naturæ instinctu ad omnes spectare, & æquali iure, esse cuique communia; cuique ex æquo diuidenda. Dei esse solius in mortales omnes imperium; hoc sibi ab iis vsurpari, qui sibi æqualibus dominantur, tyrannum, & principem, rei eiusdem esse vocabulum duplex, occupati scilicet alieni, & ex damnis communibus, priuatum in bonum translati. In bonis animi, & beneficiis diurnis, diuerso modo res habere, quantum ad sanctas verè sentiendi, & rectè viuendi regulas, Concilia omnia, Patres omnes, & quicquid vsquam Theologorum est, scintillam lucis non habere, præ caspone, futuro, lotrice, dumtaxat si sint Puritani, legantque, vel audiant diuinam scripturam, vernaculo redditam, cuius nudo & sicco textui se attendunt, vt nihil putent Deum aliud dicere, quàm quod per se quisque se capere, & intelligere somniat. Ita quidem sibi, quisque idem magister, idemque discipulus. Sed capere nequeo, ex multorum inter se dissensionibus, quo pacto non

non

non inferunt, si vni verum dicant, alios necessario errare.

Constat præter hæc, angusto limite ab Arrio, diuidi Puritanos, imo & *Caluinum Iudæizantem*, quo indice librum edidit Egidius Hannius Lutheranus Vvitembergæ Professor primarius, quo demonstrat Arrium & Caluinum, aded non esse diuersos, vt vnum etiam planè sint, in destruenda Augustissima Triade, & magna Synodo Nicæna. Osiander autem vulgavit epistolam, quam Adamus Neuserus scelerosissimus Caluini assela, Hidelbergæ olim vt vocitant Pastor, ad Gerlachium Protestantem Constantinopoli scripserat, vbi circumcisus, iamque Mahomeris; fateatur sibi compertum neminem, transisse ad Arrium, quin prius fuisset Caluinista; quadam enim vtrumque conditione symbola inter se copulari, vt esset facilis ab vno in aliud transcursus. Profertque nonnullos celebrioris famæ, vltro memoriæ obuios in multo plurium exemplum quos omittit.

Nec est hic vltimus ad priora, Puritanorum gradus, itur hinc plus vltra in Libertinorum sectam (nomen hoc latinitas, vulgari condonet intelligentiæ) vbi enim docetur Iudæ proditio, non minus esse ex Decreto Dei quam Pauli conuersio; nec efficacia minori, damnationem improborum Deus velle, quàm salutem bonorum, nec posse arbitrij libertate antecedentis causæ necessitatem expugnari, sequitur illico cedendum malis quæ non possunt vitari, & religione conscientiæ profecta, viuendum ea libertate quæ nullam permittit, aliter viuendi libertatem. Sic planè Rigidus Caluinista, in mollem exit Epicurum; & purus ille ac merus spiritus in carnem impuram, & flagitiosam, vtrumque verò in *adorat* hæc paulo fortasse fusiùs, ne agens de præstantissima natione, omnique humanitatis genere præ aliis exulta, videret idcirco incredibilia narrare de vexationibus nostrorum Sacerdotum & Catholicorum, quod essent ab ea clementia & humanitate alienissimæ, nisi præmitterem Caluinismo, præsertim puro innatam rabiem ad omnes eximæ indolis corrumpendas, & perdendas dotes; proind illi tanquam phrenetico, & arreptitio tribuendum quicquid illic in perniciem sanctissimæ fidei motum; quicquid in Sacerdotes immaniter crudelitèrque conscitum est.

Si tamen vltro proferte liceat, quod me rerum cursus, & distincta illius obseruatio docuit, sacrarum potissimum, ex quo illas euertit Henricus octauus, animaduerto summum sectarum omnium, & generale caput aliud non fuisse præter vtilis rationem. Hæc omnes vndecumque essent obtemperasse sectas, omnes ab hac vara, & plumbea regula, aptas fuisse de religione, & aduersus religionem, leges, decreta, mutationes, & sycophantias fictarum coniurationum ad euertendos iuridicè insontes Catholicos. Illam item doctrinæ concionando pugnantiam, ipsùmque sibi aduersantem Deum, verbis eius in fines detortis contrarios, & professiones fidei mutatas crebrius vnam habuisse principem omnium, & supremam causam, luctum, & vtile. Ad hoc vultus diuersos, & habitus, velut à Comædis in scena mutatos, vt personarum quæ tunc agebantur, exigebant partes, & commoda. Non erit opinor iniuctandum,

pauca quædam ex multis audire, quæ P. Ioannes Oglebyus Scotus, vel ut alij efferunt Ogilbeus Puritanis Episcopis exprobrauit, cum de illo ad mortem damnando cognoscerent, quam pro fide tandem Catholica feliciter subiit.

Ostentabat se mihi, inquit, Andreas Knokius Episcopus Insularum, quod ut poteram ego, posset ipse quoque diuina celebrare; quæsiui an esset Sacerdos: neganti aio, nec ergo Episcopus, nec potestate præditus, ad Missam celebrandam. Ille sermonem odiosum aliò deflectens; intulit si inducerem animum ad abiicienda hominum inuenta (hoc est quicquid inter Catholicos ab eorum hæresi discrepat) & religionem susciperem ab Apostolis traditam, quam profitentur Calvinistæ, fore ut pro animi celsitate, & firmitate iudicij qua valebam dignis augerer commoditatibus. Vestra, inquam, religio recens, & noua est. Vix decennium ætatis numerat. Me puero apud vos, dogma fidei erat inuiolabile; Ecclesiam in terris. Caput Visibile non habere, Christi vnus esse hunc titulum, nefas esse à quoquam sibi arrogari; nunc omnes & lingua & chirographo iuratis, Regem nostræ Britannia, eius quoque Ecclesie caput esse, cum foret ab ipso te contrarium paulo ante, iure iureiurando & subscriptione confirmatum, reo planè culpæ quam notat Apostolus, *si qua destruxi iterum hac ædifico, prauaricatorem me constituo*. Passi nuper, tumultuabare expulso, in Episcopatum, contestatus quoque, qui consecraretur Episcopus, missum iri à te palam in malam rem, & dignum fore qui conspueretur, atqui duabus inde non plus hebdomadis Episcopus appares, nec Episcopatu contentus Insularum, pinguiorem alterum in Hibernia iniuisti. Librum misit in lucem Guillelmus Andreas Couperus, ad abolendam ex hominibus Episcoporum dignitatem; at ecce idemmet Galluayensis Episcopus triumphat. Ecquid omnes Scoti Prædicantes, in solenni confesso iurati subscripsistis, abominandum esse officium, & nomen Episcopi, nec in Ecclesia tolerandum? sam hic mihi dicite, sit ne hoc, teste Apostolo præuaricari, an non? respondentibus nequaquam; sibi enim prius non tam perspicue de veritate constitisse, post autem vidisse alia quæ ante non viderant. Profus, inquam, ut dicitis, & multo alia vidistis Episcopi, reditus scilicet multorum millium nummorum, cum Prædicantibus ægrè centum darentur. Hæc sunt quæ antea inuisa nunc dilucidè videtis. Secutusque illos vrgere, reuincere, factisque illorum propriis damnare, luce clarius demonstrauit quæ fide diuina, credenda statuerant, & certis, nec vllum, ut aiebant dubitationis effugium relinquentibus scripturis stabilierant, Rege post paulum aliud volente, fuisse pro falsis definita, metu & auaritia suadente, qui vnus est isque Decumanus Religionis & lucri cardo, & pro nefaria hæresi damnante, quod pro sacrosanctæ fidei Canone multis retro annis fuerat adoratum.

Mitigare